

faciem, folia et capitulorum magnitudinem praesertim *Sc. tuberosae* Pall. simillima, sed ab ea eximie distincta capitulis cylindricis nec brevibus subrotundis.

Obs. *Podospermum villosum* Stev. *Sc. villosa* M. B. non Scop. est species in toto Oriente ab Atticâ per *Asiam minorem*, provincias *Caucasicas*, *Russiam meridionalem* et *Persiam australem* (Kotschy) late sparsa et cui adnumerandae sunt: *Sc. calvescens*, *Szowitsii*, *velutina* et *Astracanicæ* DC. *Sc. undulata* DC. Prod. quoad plantam Orientalem probabilissime quoque *Sc. araneosa* Sibth. *Pod. molle* Fisch. et M. *Sc. mollis* M. B. vix differt foliis strictis erectis non undulatis et probabiliter est quoque varietas hujus speciei.

SCORZONERA LIMNOPHILA Boiss. loc. cit. Febr. 1845. (Sect. *Gelosia* DC.)

Sc. glaberrima, radice tuberosâ ovatâ crassâ, foliis omnibus radicalibus humi expansis linearibus brevibus viridibus nervo medio albido instructis, pedunculis unifloris foliolo ad medium instructis monocephalis basi ascendentibus foliis paulo longioribus, capitulis cylindricis paucifloris involucri squamis paucis, inferioribus ovato-rotundis, interioribus lanceolatis obtusis triplo longioribus, flosculis marginalibus extus purpurascensibus caeterum luteis involucrum superantibus, acheniis crostratis marginalibus oblongo-compressis secus strias muriculatis interioribus breviter cylindricis angulatis laevibus, pappi sordide albi achenium subaequantis setis acheniorum marginalium plumosis, interiorum caducis vix plumosis scabridis.

Hab. in paludosis alpinis *Persiae australis* ad fontem *Dcheschme Pias* montis *Kuh-Daëna* Kotschy No. 737.

Folia sesquipollicaria 2 lineas lata, scapi 2-3 pollicares, magnitudo capitulorum et habitus *Sc. pygmaeae*, quae caeterum longe differt rhizomate crasso caespitose, squamarum involucri forma DC.

Obs. *Sc. elata* Boiss. diagn. No. 4. *Sc. strictae* Hornem. appropinquanda est et ei forsitan nimium affinis praesertim ejus varietas angustifolia quae a planta Rossica tantum differt collo radicis nudo, glabritie et involucri squamis longe attenuato-acuminatis.

SCORZONERA ISPAHANICA Boiss. (Sect. *Lasiospora* DC.)

Sc. tota dense lana floccosa demum secedenti obsita, caule simplici inferne folioso superne elongato-paniculato, foliis oblongo-lanceolatis

basi attenuatis obtusiusculis 5-7 nerviis, superioribus ad pedunculorum basin subulatis brevissimis, pedunculis incurvis capitulo subrotundo 3-plo longioribus flexuosis parce squamulosis, involucri glabri *squamis omnibus acuminatis, exterioribus caeteris paulo tantum brevioribus, floribus luteis, acheniis*

Hab. in *Persia* prope *Ispahan* Aucher No. 4897.

Planta sesquipedalis, caulis striatus gracilis, capitula illis *Sc. ensifoliae* et *paniculatae* dimidio minora. Ab eis praeter indumentum, folia tenera obsolete nervosa nec rigida nervosissima differt squamis exterioribus longe acuminatis interiores subaequantibus etc.

SCORZONERA PANICULATA Boiss. (Sect. *Lasiospora* DC.)

Sc. glabriuscula, caule *elato valde folioso superne longe thyrsoideo-paniculato*, foliis sessilibus, lanceolatis rigidis acuminatis sub 5 nerviis, nervis valde prominulis secus caulem decurrentibus margine subscabridis, superioribus ad ramorum basin lanceolato-linearibus breviter acuminatis, ramis squamulis linearibus auctis apice subincrassatis monocephalis, involucri glabri *squamis omnibus acuminatis, inferioribus triplo brevioribus intimis flores luteos subaequantibus, ovariis villosis, pappi rufescentis setis parte inferiori plumosis superiori scabris.*

Hab. in *Kurdistanâ* prope *Diarbekir* Kotschy in Mus. Imp. Vindob. No. 223.

Planta speciosa, cujus partem superiorem tantum vidi probabiliter 3-4 pedalis, folia plana fere tres pollices longa $\frac{1}{2}$ pollicem lata, panicula elongata strictiuscula pedalis, capitula illis *Sc. ensifoliae* paululum minora abs quâ foliis multo latioribus nec longissime attenuato-subulatis inflorescentiâque ramosissimâ differt. *Sc. nervosa* Trevir. brevi diagnosi meae speciei valde affinis, ab eâ differre videtur foliis ventricosolanceolatis multinerviis arachnoideis. *Sc. latifolia* quoque valde affinis differt indumento sericeo-tomentoso, foliis multinerviis margine crispulis, paniculâ depauperatâ etc.

SCORZONERA SUBAPHYLLA Boiss. loc. cit. Febr. 1845. (Sect. *Polyclada* DC.)

Sc. glaucescens, radice multicaulis collo lanuginoso, foliis breviter puberulis paucis radicalibus lineari-lanceolatis basi attenuatis rigidis acutiusculis, caulibus ramosissimis ramisque strictis erectis rigidis, foliis